

ISAGOGICA

neus cum fœminis, cum calidis calidus, cū humidis humidus, fortuna cum for-
tunis, maxime laudabili aspectu coniunctus, infortuna cum infortunijs, præser-
tim eisdem aspectu malo uel corpore applicans. Secundū aliquos femora um-
bilicum, pecten, crura, neruos, & uenas regit. iuxta alios (& melius) os, linguā,
cogitatiuam ac memoratiuam, manus quoq; & crura possidet. Ex coloribus au-
tem omne commistum, & uarium. Magnitudo eius pars una est de .32. millibus
partibus terræ. Radij autem ipsius gradus septem. Cursum uero suum cum So-
le ac Venere conficit. Anni Mercurij maximi sunt. 460. maiores. 76. medii. 48.
minores. 20.

¶ Luna (quæ ut plurimum cornicularis cernitur) pari, ac semicirculari forma
signatur. Fœminina est, nocturna, naturaliter frigida, & humida, parum tamen
calefacit, magis humectat. per quartas suas qualitatem, ut Sol in quartis, & an-
ni temporibus quatuor commutat. Et est delatrix uitutum, & impressionum
omnium aliorum planetarum, nam omnes influentiæ per orbem ipsius ad nos
ultimo descendunt. Ex coloribus croceum habet. In homine cerebrum, & in ma-
re sinistrum oculum, in fœmina dextrum, ac uuluam. In utroq; stomachū, uen-
trem, atq; in omnibus sinistræ partis portionem elegit. Magnitudo lunaris glo-
bi est una pars de .39. partibus terræ. Radii uero ipsius graduū duodecim sunt.
Annus autem siue mensis Lunæ peragrorius ab uno ad eundem zodiaci
punctum, iuxta eiusdem medium, & æqualem motum dierum est. 27. horis. 8.
fer'e. Ali'as lunaris siue consecutorius mensis dierum. 29. cum dimidio, omis-
sionib; minutis, de quibus infra, Anni Lunæ maximi sunt. 520. maiores. 108. medii.
66. & dimidium. minores uero. 25.

¶ Caput draconis ueluti capiti caudam conuertens designatur (quorum uterq; ex
intersectione linearum duarum Solis. s. ac Lunæ orbium in cœlo describitur)
cum bonis bonum est, cum malis malum. In coniunctione nanc; bonorum bo-
nitatem ipsorum adauget, sicuti in malorum coitu malitiam mali exaggerat.
¶ Cauda uero ipsius uerso modo signata bonitatem boni, & malitiam mali di-
minuit. Et ideo bona cum malis, mala autem cum bonis decernitur.